

per easdem vias ad renes contendunt. Sed 2. *non* à dicitur: Motum Lymphæ omnis naturalem esse à peripheriâ ad centrum h. e. à Glandulis Nutritiis per vasa Lymphatica versus cor. Scaturiens nimirum Lympha perpetuis rivis ex glanduloso cerebro, per lymphæ ductus sanguinis infunditur oceano pro irrigando totius systemate, & ex hoc ad idem remeat per arterias. Eundem Lymphæ ex thymo motum esse, ex præsuppositis claret. Ex ceteris verò emanans fontibus, glandulis sc. conglobatis, per evehentia lymphatica ex inferioribus quidem mediante receptaculo communi hujusque propagine venæ subclaviæ sinistrae, ex superioribus verò immediatè utrique jugulari nonnunquam ipsique cavæ infusa eundem petit communem oceanum, & pulsu cordis arteriarumque systaltico motu totius corporis permeat partes, in quibus glandularum minimarum & segregantis spiritus ope à cruore separata per secundi generis seu advehentes lymphæ ductus ad easdem redit de novo perficienda.

§. XIII.

Principium ergò seu terminus, à quo initium circulationis suæ lymphæ ducit, sunt glandulæ nutritiæ, terminum ad quem, sanguis & cor constituunt, terminos intermedios reliquæ corporis partes & vasa: Hæc verò duplicia sunt, evehentia lymphatica, & revehentia, respectu cerebri & thymi (num enim hic duplici lymphaticorum genere constet, nondum liquet, neque tamen suâ caret probabilitate) sanguiflua, proximè arteriosa; conglobatarum intuitu remotè venosa, proximè cum primis alterius generis sive sic dicta advehentia lymphatica & arteriosa.

§. XIV.

Vectores autem Lymphæ spiritus feci, in quorum enim imperio uti naturalis est scientia, quorumvis humorum motus ad suos scopos dirigens, qui secundum diversas impressiones diversorum vasorum insinuati capillitiis ad certos deproperant terminos; ita istorum cum primis favore ex glandulis suis vehitur & ad easdem revehitur Lympha. Finis tandem circulationis hujus est, ne unquam desit alendis & vegetandis corporis partibus congruus alimenti commeatus, sed refarciendis œconomix defectibus